Quelle: https://manuscripta.at/?ID=851
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



spe dñi et dixit ad me. Loquere. Hec dicit dñs. Sic locuti estis dom israel. et cogitationes cordis vestri ego novi. plurimos occidistis in vrbe hac. et implestis vias eius interfectis. Propterea hec dicit dñs. Interfectis vestris quos posuistis in medio eius hi sunt carnes. et hec est lebes. Ad vos autem educam de medio eius gladium meum istum. et gladium inducam super vos. dicit dñs deus. Et dabo vos de medio eius. dabo quoque vos in manum hostium. et faciam in vobis iudicia. Gladio cadetis. In finibus israel iudicabo vos. et scietis quia ego dñs. Hec erit vobis in lebetem. et vos eritis in medio eius in carnes. In finibus israel iudicabo vos. et scietis quia ego dñs. Quia preceptis meis non ambulastis. et iudicia mea non fecistis. sed iuxta iudicia gentium quae habitant in circuitu vestro estis operati. Et factum est cum prophetarem. phelatias filius banaie mortuus est. Et cecidi in faciem meam clamans voce magna. et dixi. heu heu heu dñe dñs. consumma tu facies reliquias israel. Et factum est verbum dñi ad me dicens. Fili hominis fratres tui. fratres tui uiri propinquitatis tui. et omis domus israel universi quibus dixerunt habitatores hierusalem. longe recedite a domino nobis data est terra in possessionem. Propterea hec dicit dñs dñs. Quia longe fecit eos in gentibus. et quia dispersi eos in terris. ero eis in sanctificationem modicam in terris ad quas venerunt. Propterea loquere. Hec dicit dñs deus. Congregabo vos de populis. et adunabo vos de terris in quibus dispersi estis. dabo quoque vobis humum israel. Et ingredient illuc. et auferent omnes offensiones eius et abominationes eius de illa. Et dabo eis cor novum. et spiritum novum tribuam in visceribus eorum. Et auferam cor lapideum de carne eorum. et dabo eis cor carneum. ut in preceptis meis ambulent. et iudicia mea custodiant. faciantque ea. et sint mihi in populum. et ego sim eis in deum. Quorum cor post offendicula. et abominationes suas ambulat. horum iniquitatem super capita sua ponam dicit dñs dñs. Et eleuauerunt cherubyn alas suas. et rote cum eis. et gloria dei israel erat super ea. Et ascendit gloria dñi de medio ciuitatis. et stetit super montem qui est ad orientem vrbis. Et spiritus eleuauit me. et adduxit me in chaldeam ad eos in transmigrationem in visione in spiritu dei. Et ablata est a me visio quam vidi. et locutus sum ad transmigrationem omnia verba dñi quae ostendit mihi.

Et factus est sermo dñi ad me XII

dicens. Fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas. qui oculos habent ad videndum. et non videbunt. et aures ad audiendum. et non audiunt. quia domus exasperans est. Tu igitur fili hominis. fac tibi uasa transmigrationis. et transmigrabis per diem coram eis. Transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum. si forte aspiciant. quia domus exasperans est. Et efferes foras uasa tua. quasi uasa transmigrantis per diem in conspectu eorum. Tu autem egredieris uespere coram eis sicut egredientur migrantes. Ante oculos eorum perfode tibi parietem. et egredieris per eum in conspectu eorum. In humeris portabis. in caligine efferes. Faciem tuam uelabis. et non videbis terram. quia portentum dedi te domui israel. Feci quemadmodum praecepit mihi dñs. Vasa mea protuli quasi uasa transmigrantis per diem. et uespere manu perfodi parietem mihi. et in caligine egressus sum. et in humeris portauit in conspectu eorum. Et factum est mane dicens. Fili hominis nunquid non dixerunt ad te domus israel domus exasperans. quid tu facis. Dic ad eos. Hec dicit dñs dñs. Si in ducem israel quae in illis. et si omnem domum israel quae in medio eorum. Dic. Ego portentum vestrum. Sicut feci sic fiet illis. in transmigrationem et captiuitatem ibunt. Et dix quae in medio eorum in humeris portabitur in caligine egredietur. Paries perfodient. ut educant eum. faciem eius operiet. ut non videat oculo terram. Et extendam retem meum super illum. et capietur in sagena mea. Et adducam eum in babylonem in terram chaldeorum. et ipsam non uidebit. ibique morietur. Et omnes qui circa eum sunt. presidium eius. et agmina eius. in dispersionem ventilabo. et gladium educam post eos. Et scient quia ego dñs cum dispersero illos in gentibus. et disseminabo eos in terris. Et relinquam ex eis uiros paucos a gladio. et fame. et pestilentia. ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus. ad quas egredientur. et scient quia ego dñs. Et factus est sermo dñi ad me dicens. Fili hominis panem tuum in conturbatione tua comede.